

241211

13937

ORDINIS SVI

H. T.

DECANVS

D. IO. HERMANNVS

FÜRSTENAU

DE

ELECTRICITATE

NONNVLLA PRAEFATVS

PANEGYRIN MEDICAM

INDICIT.

ORDINIS SVI

E. T.

DECANVS

D. JO. HERMANNVS

FIRSTENAV




RECTORIATU

KNOWLEDGE




MAGISTRUM



* * *
Nihil sub sole noui. Ast
electricitas, cuius nunc plena sunt
omnia, noui quidpiam spirare vi-
detur. Enimuero ignem, lucem
calorem solo attritu ex corporibus
etiam actu frigidis produci, nouum
non est, et vel sola pyritis ad chalybem allifione
constat, idem vero electricis perfici adminiculis,
nouum apparet. Succinum, τὸ ἤλεκτρον, et quae
ad naturam eius proxime accedunt corpora electri-
ca inde dicta praeuio attritu paleas allicere, nouum
non est, idem vero multo machinarum apparatu
praestare, et verum adeo lumen elegantis et pur-
purei coloris, globo vitreo aere communi decenter
exhausto in loco obscuro circa axem celeriter et
violento motu rotato exhibere, idemque per cana-
lem vicinum vltterius propagare, omnisque adeo
generis corpora, animata simul et inanimata sulphu-
rea, resinosa aut intestino motu celeriter agitata ele-
ctrica reddere, nouum videtur, et inauditum, et ca-
ptum ingenii omnem transcendens, de cuius vsu
genuino et applicatione nemini ne per somnium
quicquam innotuisse creditur. Omnem rei histo-
riam altius repetere, et an Britannis, Gallis, annon
potiori iure Germanis inuentionis debeatur gloria,
sollicite disquirere, cum ab aliis id pridem praestitum
sit, nihil attinet, de re ipsa paucis differere iuuabit.
Ex sanguine, melle, oleo tartari, semine sinapios,

praesertim vero ex vrina humana ad spissitudinem mellis redacta et tripla parte arenae mixta in retorta igne fortissimo destillata impetratur massa resinosa et foetida in tenebris perpetuo splendens et fulgurans, eademque massa in vaporem aut formam siccam redacta fulgurat, minus sub aqua vel aliis liquoribus aquosis contenta, quibus omnium optime a deflagratione et dissipatione conseruatur. Vterque hic phosphorus siue solidus siue liquidus si recipienti includitur et aer subducitur ad singulas aeris extractiones a fulguratione remittit. Huius particula chartae ligno vel alii corpori inflammabili affricata statim in flammam rapidissimam abit, in spiritu vero vini, vel oleo caryophyllorum soluta, aquaeue in tenebris instillata flammam circularem in superficie aquae spargit. Phosphorus mercurialis, pluvia lucida ignea, ipsaque adeo barometra lucentia et phosphorascentia parantur, quando tubulo mercurium recipiente bene exantlato aperitur epistomium, quo facto aer cum impetu per tubulum vitreum irruens velocissimo motu mercurium discutit ad latera vitri proiicit, et lumen producit, flammamque repraesentat ex meris igneis globulis compositam. In medio vacuo proximo et solito rariori vel etiam sub aqua variorum corporum attritione, v. c. ambrae cum lana, vitri cum lana, vitri cum testis ostrearum, harum cum lana, lanae cum lana lux modo coloris purpurei, modo flauis, interdum fortior instar fulguris, interdum debilior aut plane euanescens pro diuersitate mediae produci-
turi, quin vitri cum vitro attritio, etiam in aere com-
muni



muni, imo sub aqua lucem procreat, filicis vero cum chalybe collisio tantum in aere communi, nulla vero ratione in vacuo scintillas proiicit. Lignum putridum in recipiente post exantlatum aërem omnem lucem amittit, eandem vero aere per gradus iterum admissio rursus acquirit. Ex alumine crudo cum farina triticea saccharo, radice curcumae, succino fuligine permista paratur massa quae cum retorta vitrea in arena calcinata vsque ad incandescentiam retortae, hac deinde refrigerante aeri libero exposita statim per se accenditur, inque flammam erumpit. Ex quibus omnibus clare satis patet, τὸ Φλογιστὸν cunctis quidem corporibus inesse diuersimode dispersum, et pro vario materiae coelestis lucidae transitu, diuersarumque admistione partium modo citius modo tardius ignem producere, aliisque communicare, solum autem attritum coelestis atque aetherae materiae ac motum vorticosum rem omnem conficere, illum vero corpora deinde sulphurea resinosa, et ignem flammamque concipere apta magis augent, fouent, vltteriusque disseminant. Neque obstat, ligna putrida in recipiente aere vacuo, in quo tamen aetheris omnia peruadentis praesentiam frustra negaueris, lucem omnem amittere, eandem vero aere per gradus iterum admissio rursus acquirere, quod idem candelae, et carbonibus viuis lucidis atque vrentibus contingit; cum alia sit ratio aetheris sibi relictis, puri et fortius solum agitati verae lucis omnis causae, alia eiusdem in variis generis corporibus diuersimode mixti et dispositi: quae liberam omnino aëris accessionem


sionem haud secus requirunt, ac corpora, quae reddi dicuntur electrica absque eius ope et in vacuo nunquam vel ignem concipere vel scintillas spargere aliisque communicare corporibus valerent. Ex hisce vero satis opinor, liquet, et motus omnis siue in vastis mundi corporibus, siue in minoribus obuii rationem et variam eorum erga se inuicem habitudinem experimentis illustrari electricis. Quae enim attractione quondam, hinc pulsu et pressione fieri credebantur, nunc mutato dictionis modo cohaesionis et adhaesionis, id vero est electricitatis ministerio explicantur omnia. Vt solem, planetas et corpora coelestia reliqua iustam ab inuicem distantiam seruando celerrime tamen et circa propriam axin moueri, aquam et terram aere inq; primis aethere permixtam vario impulsu in se inuicem aliaque corpora facto nisu haud interrupto agitari, et humanum praesertim corpus eiusque solidas et liquidas partes a causis et remediis tum internis tum externis epispasticis attrahentibus, eleuantibus, comprimentibus, vesicatoriis, fonticulis, cucurbitulis vario exagitari motu nisuque, electricorum ad instar phaenomenorum, coeteroquin ab illis nullum sanitati neque commodum neque detrimentum, nisi in subiectis forsitan valde sensibilibus afferri, exinde haud difficulter colligas.

Pauca haec praemittenda duxi publicae commendationi filii mei natu maioris


IOANNIS FRIDERICI FÜRSTENAU

qui natus hic Rintelii in alma musarum sede d. xxxi. Oct. clō lō cc xxiv. breuique post natiuitatem sancto baptismatis fonte ablutus, christianorum sa-

cris




cris initiatus est sacra h. t. faciente venerando quon-
dam Praefule B. D. GVILIELMO FRIDERICO
BIERLINGIO, susceptore B. IO. FRIDERICO DE
WIESENHÜTEN, Consiliario Caesareo, cuius, ceu
absentis vices, pro eo, quo fertur in filium amore et
fauore subiit Vir Consultissimus D. D. FRID. VLR.
PESTEL, fautor et Collega meus coniunctissimus,
a quo et adultior factus in philosophia morali, et iu-
re naturae, id quod gratus profitetur, multum pro-
fecit. Primis aetatis annis bonarum artium rudimen-
tis tum a domesticis, tum in schola senatoria publi-
ce docentibus Praeceptoribus Viris Cl. BOEDEKE-
RO h. t. ConRectore, nunc V. D. ministro Deck-
bergenfi vigilantissimo, SCHRÖTERO, ConRecto-
re pariter et BEHRENS Rectore et Professore ex-
traordinario, utroque *ἄντι διδασκάλῳ* imbutus est. An-
no trigesimo seculi octauo, aetatis quarto et decimo
inter ciues Academicos a ProRectore Magnifico D.
D. WOLFHARDT est receptus, posteaquam Deca-
no Phil. Fac. C. E. F. BIERLINGIO doctrinae et mo-
rum specimina probauerat, a quo deinceps in elegan-
tioribus litteris, in historia quacunq̄ue, praesertim
litteraria, familiari quoque consuetudine auctis indies
profectibus multum profecit. Neque vero minus a
ProRectore nunc Magnifico Exc. FVNCCIO in Ge-
ographicis, a S. R. STEVBERO in lingua Hebraica
et litteratura Orientali, a S. R. KAHLERO in Ma-
thesi, ab Exp. ZIEGLERO in Botanicis et Osteolo-
gicis, et Exc. ESKVCHIO in litteris graecis, vti pu-
blice et debita singulis gratiarum actione identidem
profitetur, adiutus est, quibus omnibus perpetuam
meam




meam in litteris, in philosophia, inque omni artis salutaris ambitu rite emetiendo iunxit manuductionem, et tertiam medendi methodi, quaeque de initiis agit typographiae physiologicis dissertationem haud inepte defendendo 1740. bis mecum cathedram publice conscendit. Integro sic exacto lustro posteaquam omnem artis salutaris cursum, elegantioribus haud interea neglectis litteris perfecisset, manumque operi in casibus clinicis resoluendis, aegrotis visitandis iisdemque internorum et externorum ope auxiliorum subleuandis ipsisque operationibus chirurgicis haud infelicem applicasset, accidit ut frater meus Germanus, illustrissimi Comitis de Rheda, Bentheim et Tecklenburg praefectus Gronauensis in ditione Monasteriensi, Belgio finitima, morbo grauissimo lethaliter decumbens aduentum operumque meam identidem efflagitaret, ego vero officii et negotiorum ratione impeditus Filium hunc meum cunctis, quoad liceret subsidiis instructum ad eundem M. Sept. 1743. ablegarem, qui Deo comite et duce, facto per Mindam, Osnabrugum, et Monasterium, in quo D. D. CRATERVM salutauit, itinere Gronauium peruenit, et patruo suo cum morbo grauissimo et sensim aucto colluctanti ad extremum vitae halitum fideliter adstitit, remediis exquisitis corpus, sed et piis precibus atque solatiis animam refocillauit, tandemque post beatum ex hac vita excessum defuncto iusta persoluit, exequias parauit, et in rationibus defuncti reddendis talem se praestitit, ut hunc et non alium eiusdem in officio successorem boni omnes exoptassent. Interea ab
illu-


illustri regiminis Consiliario HOFFMANNO eius-
 que filiis et genero Reu. EBERHARDI Sacerdote
 Gronauiensi disertissimo et vigilantissimo multis
 magnisque affectus beneficiis, aegreque tandem di-
 missus, facto per Transyselanam Geldricam et Vl-
 traiectionem ditionem itinere meo instinctu Am-
 stelodamum media petiit hyeme. In hac totius or-
 bis vrbe per integrum et quod excurrit semestre
 1744. commoratus breui viris vndiquaque celes-
 rrimis IO. BVRMANNO, atque ROELLIO, illi Bo-
 tanicis, huic vero Anatomes Professori, nec non Cl.
 VLHORNIO dexterrimo et eruditissimo operatori
 innotuit, et a ROELLIO quidem anatomen publi-
 cam magno spectatorum confluxu frequentatam
 trius distinctis administratam vicibus ab VLHOR-
 NIO vero potiores operationes chirurgicas in duo-
 bus cadaueribus simul institutas vidit, ab eodemque
 ad aegrotos, quibus manu sua perita medicinam
 fecit, plus vice simplici deductus est. Hinc praeter
 alios doctrina et artis vsu excellentes viros HOVI-
 VM, ALBINVM, quo duce nosocomium pestilen-
 tiale dictum perlustrauit, binosque inter ebraeos fa-
 mosos Medicos, PERES et MATTOS, quocum data
 occasione ab aegroto quodam rogatus consilium in-
 iit, et peritissimos Chirurgos LACKEMANNVM,
 Lithotomum vrbis ordinarium, a quo varias praeter
 encheireses bis in nosocomio, Sardami quoque litho-
 tomiam feliciter administratam vidit, Cl. VER-
 DVYN, quo artem peritissime exercente familiariter
 vsus est, et Cl. RATLAV, artis et ipsum vsu in-
 clytum Operatorem, mox in familiaritatem Virorum



doctrina et vsu artis per vrbem celeberrimorum
ABR. VAN HAGEN, IO. GRASHVIS, et vtriusque
SCHLICHTINGII, inprimis IO. DANIELIS, Sen.
peruenit, quem varias operationes chirurgicas pro-
pria administrantem manu, et collegium anatomico-
chirurgicum praelegentem assidue comitatus est, a
singulis, id quod in laudem optimorum dictum esto
Virorum, non modo quotidie in nosocomia ad vi-
fendos et tractandos omnis generis aegrotos intro-
ductus, sed et rarissimo exemplo eadem cum viris
grauissimis rheda per vrbem amplissimam vectus
varii generis languentibus rite vt subueniret, mature
et decenter praeparatus est, non paucis eorum curae
ipfius seorsim commissis, quin et horum auctoritate
et indulgentia artis Antistitum statis temporibus in
officina vrbis publica et medicamenta ad vsu[m] pa-
rata, et ab aliis aegrotantium in vsu[m] praescripta lu-
strare, et pluribus id efflagitantibus propria configna-
ta manu propinare ipsi licuit. Neque tamen arduis
hisce atque vtilissimis negotiis ita fuit distractus, quin
et Bibliothecis et Bibliopolis excutiendis, et Viris
quos Amstelodamum alit, per orbem celeberrimis,
conueniendis, cultui diuino, variarum inprimis reli-
gionum sedulo frequentando, demum et vere adulto
lectionibus botanicis Burmannianis auscultandis, in-
sumeret quaecunq[ue] ab istis laboribus sibi relicta sen-
tiebat temporis momenta; quo nomine S. CRELLII,
WETSTEINII, DRIEBERGII, Theologorum Ar-
minianae sectae deditorum, VRYHOFII Icti,
VOENKII, L. L. DORVILLE, PET. BURMANNI
humanitatis Professorum, et Reu. KLEPPERBENII
A. C.





A.C. Sacerdotis Germani singularem prorsus humanitatem extollit. Et plura inter alia artis et naturae admiranda armamentarium Indiae Orientalis nauale, das Ost-Indische Buyten huys, quod nemini facile patet, nec nisi Ser. CAROLO Lotharingiae Duci ostensum est, iustravit. Ad finem Iunii mensis, posteaquam data occasione Roterodamum et Goudam, inque ea D. DEMOOR, Hagam quoque Comitum, ibidemque Viros Cl. SCHWAENEKE et MIDDELBECK Professores Medicos celeberrimos, porro et Cl. PAGENSTECHEM, PROSPERUM MARCHAND et LYONET, Harlemi vero Exp. D. WOENCEL salutauerat, Lugdunum petiit Batau. ibidemque tum Theologorum VAN DEN HONERT, Rectoris h. t. Magnifici, WESSELII, ALBERTI, EGGERS, tum Ictorum VITRIARII, SCHWARTZII, RÜCKERS et SCHELTINGA, tum Philosophorum SCHVLTENS L. L. O. LVLOFS Mathes. VAN OVDENDORP Eloquent. HEMSTERHUIS Gr. ling. Professorum, tum Medicorum imprimis per orbem celeberrimorum ALBINI, GAUBII, VAN ROYEN et MUSCHENBROECKII fauorem promeruit, et posteriorum imprimis scholas imminentibus feriis ad finem properantes, figillatim physiologicas Albinianas, pharmaceuticas et practicas Gaubianas, et botanicas a D. VAN ROYEN in horro Medico habitas sedulo frequentauit; simul et praeparata anatomica a Cl. ALBINO incredibili studio elaborata et seorsim sibi beneuole demonstrata admiratus est. Porro et Cl. VAN SWIETEN Reginae nunc Hungariae Archiatrum et Commentario Boerhauiano



inclytum, D. NORTWYK, D. TRIOEN, IO. FRID. GRONOVIVM Senatorem et Med. Doctor, eiusdemque fratrem ABR. GRONOVIVM Bibliothecar. Leydensem, et famosissimum Mechanicum MVSCHENBROECKIVM, et WANDELAAR, aeris caelatorem, et Bibliothecam Academiae publicam, et Theatrum Anatomicum famigeratissimum, et Concilium h. t. a Viris Pl. Reu. quotidie frequentatum haud cunctanter inuisit, a singulis non nisi doctior meliorque recedens. Menstruo fere spatio sic Lugduni exacto, Ultraiectum petiit, et praeter Theologos, BVRMANNVM, ODE et MILIVM, ab IRHOVEN ICTos et Philosophos, Cl. WIELINGIVM, WESSELINGIVM, et DRACKENBVRGIVM a quo mediis in feriis in Bibliothecam Academiae publicam introductus est, Medicis inprimis ALBINO, SCHACHTIO, et WACHENDORPIO operam dedit, hinc et CORNELIO DE PFAV, D. SCHVTT, D. SERMES, et famoso operatore IACOBO VAN DIDEN familiariter vsus est, Nosocomium quoque, theatrum anatomicum, hortum medicum, et artificiosissimum Salomonis templum haud segniter visitavit. Porro Nouiomagum contendit, ibidemque plura inter alia duce Cl. DEGNERO orphanotropheum publicum lustravit. Hinc Coloniam, inque ea D. THOMAM STEINHAVS, Archiatrum electoralem salutavit, et continuato per Bonnam, Confluentiam, Neuwied, Andernacam, St. Goir itinere, Moguntiam, indeque Francofurtum abiit, breuique post Moguntiam repetiit, variasque vrbis elegantias inque primis regium fere apparatam, quo subditi
Neo-





Neo-Electori homagium solenni ritu praestiterunt; conspexit; porro et aquas minerales vicinas Schlangenbadenses, Schwalbacenses et Wisbadenses, simul et ultimo loco D. RAVCH et D. NOTNAGEL, Medicinam ex arte facientes inuisit, et per Moguntiam iterum Francofurtum reuersus est, ibidemque ab illustri Contule regente et cognato H. DE BARCKHAUS, eiusdemque Sorore, lustrici sui parentis haud ita pridem defuncti I. F. DE WIESENHÜTEN relicta vidua, hinc et consiliario imperiali aulico de CRAMER, inprimis quoque a Medicis huius emporii praestantissimis, D. D. BVRGGRAVIO, GLADBACHIO, SENCKENBERGIO, TRILERO, WILHELMI multis magnisque beneficiis auctus, Bibliothecam Senatoriam publicam nosocomium, auream bullam, Conclauē electioni Imperatoris destinatum, armamentarium publicum, officinas pharmaceuticas, plura inter alia, iussu inprimis et auctoritate consulis gratiosissimi vidit, perpendit, miratus est; tandemque factō per Hanouiam et Herbiopolin itinere Noribergam perrexit, ibidemque tum illustrem G. THOMASIVM, veteranum fautorem meum, tum Exc. TREVV, GÖTZIVM, BAIERVM, VOLCAMERVM, aliosque inuisit Medicos praestantissimos, ab iisque musea, gazophylacia, bibliothecas insignes, aliaque demonstrata, penes Cl. DOPPELMAYERVM machinam electricam et plura curiosa, apud RÖSELLIVM egregium in minimis pictorem, ingentem insectorum et papilionum apparatus, hortosque valde elegantes conspexit, non sine fructu studiorum vberissimo ab iisdem dimissus.



missus. Altorffi Polyhistore insigni SCHWARTZIO eiusque genero utroque Medico praestantissimo WEISIO et KIRSTENIO familiariter inprimis usus est, eorumque ductu hortum medicum, laboratorium chemicum, bibliothecam, in eaque plura curiosa antiqua artificialia contemplatus est, quorum omnium ut et venerandi BERNHOLDI BAIERI, HEVMANNI, NAGELII, SPISII, ADELBURNERI familiarem consuetudinem hodieque exosculatur. Erlangae quoque Virorum Cl. HVTH, cui ab Exp. TRILLERO commendatus erat, PFEIFFERI, ROSMANNI, inque primis GADENDAMMI insignem expertus est benevolentiam, ab eo in Bibliothecam introductus publicam, multisque beneficiis auctus, Medicis quoque Exp. WEISMANNO, SCHMIEDELIO, PFAN, GEBAUERO et HOFFMANNO familiariter usus. Hinc Ienae ill. WEDELIVM HILSCHE-
RVM et HAMBERGERVM, WEISSENBORNIVM, WALCHIVM, HALBAVERVM, WIEDEBVRGIVM, BVDERVM, SCHAVMBVRGIVM, STOCKIVM, LOEBEEVM, PAGENDARMIVM vna cum Bibliotheca Academiae publica reliquis Germaniae Bibliothecis, si numerum spectes iure anteferenda; Erfurti ill. BÜCHNERVM A. N. C. Praesidem, IVCHIVM, STAHLIVM, KNIPHOFIVM, VOGELIVM vna cum Bibliotheca A. N. C. recens fundata; Lipsiae in conuictu iterum suauissimo cognati L. B. DE WIESENHÜTEN ill. WALTHERVM, PLATNERVM, QVELMALTZIVM, HEBENSTREITIVM, PLATZIVM, PEZOLDVM, GVNTZIVM SCHACHERVM, IOECHERVM, Reu. KLAUSINGIVM ciuem et pristinum factorem meum, Cl. GOTSCHEIDIVM, CHRISTIVM, KAPPIVM, MASCOVIVM, LYDWIGIVM, MENCKENIVM, ZINCKIVM, WINCKLERVM, penes quem et cel. mechanicum COTTAM altera et tertia vice machinam vidit electricam, WACHTERVM, FEVSTEL vna cum Bibliothecis priuatis itemque Senatus et Academiae publicis, in quibus praeter varias antiquitates, naturae et artis miranda, numophylacium, tum et Serenissimos Saxoniae Prin-

Principes iuuentutis offendit, quorum in gratiam a Viris
 doctis habitas varii argumenti acroases simul auscultuit, hor-
 tos Academiae public. et priuatos, aliaque plura, quibus diues
 superbit Lipsia; Halae Ven. FRANCKIVM, MICHAELIS,
 BAUMGARTEN, CALLENBERGIVM, ill. BOHMERVUM,
 Sen. GASSERVUM, WOLFIVM, ALBERTI, IVNCKERVM,
 HOFFMANNVM, STRAELERVUM, h. t. Pro-Rectorem
 Magnificum, SCHMEITZELIVM, LANGIVM, quartam
 ostendentem machinam electricam BASSIVM, KRIV-
 GERVM, BOHMERVUM IVN. a quo duo cadauera de-
 monstrata vidit, vna cum Bibliotheca Academiae et Sena-
 tus publica, Salinis, Orphanotrophaeo, Gazohylacio, Paeda-
 gogio, eiusque inspectorem Cl. FREYHERVM; Vitem-
 bergae tum Pro-Rectorem Magnificum BAVERVM, tum
 ill. a LEYSER, a BERGER, tum Exc. VATERVUM commi-
 litonem quondam, nunc quoque fautorem meum honora-
 tissimum, a quo et insignia anatomica praeparata, et theatrum
 anatomicum et hortum medicum demonstrata vidit; hinc
 et STENTZELIVM, LANGHVTH, BOSIVM, penes quem
 quintam deprehendit machinam electricam, et RITTERVM
 conuenit, non sine insigni fauoris testificatione, et vberri-
 ma studiorum accessione a singulis dimissus. Demum et
 Berolinum abiit ill. Collegii Medici Praefidi ELLERO com-
 mendatus, in theatro anatomico viginti fere cadauera
 artificiose dissecta vidit, inque Collegio medico et in na-
 socomio d. charite ab Exp. BVDDEO, POTT, LVDOLFO,
 SPROEGELIO, SCHARSCHMIDIO, GLEDITSCHIO et
 PALLAS in anatomicis, chirurgicis, botanicis et chemicis
 multum profecit, D. LIEBEKKVHN. instrumenta mecha-
 nica, microscopia, praeparata et iniectiones cunctis quos
 viderat palmam reddentes dubiam admiratus est. Prae-
 terea G. E. STAHLIVM, CARITA, EVLER celebrem
 mathematicum, et Reu. SACK concionatorem aulicum, et
 NEVBVRGIVM a quo in Bibliothecam regiam et Spanhe-
 mianam, GRISCHOVIVM, a quo in Observatorium multis
 machinis opticis astronomicis refertum, MVTZELIVM, a
 quo



quo in Gymnasium Ioachimico-Vallense introductus est, eiusque filium Regii in Suecia Successoris Archiatrum, vt et Bibliothecam collegii medici frequenter inuisit, ab omnibus humanissime semper habitus, nec sine proluxa amoris significatione dimissus. Tandem patriam reuisurus factus per Magdeburgum itinere, in quo ill. de GVERIKE Consul quondam tot inuentis mechanicis et physicis curiosis inclyti pronepotem salutauit, Helmstadium petiit ac praeter Magnific. Acad. Pro-Rectorem CONRADI et Ven. MOSHEIMIVM, Exc. deGOEBEL τὸν νῦν ἐν ἀγίοις, illustrem in primis HEISTERVM, a quo beneuole exceptus et in Hortum medicum introductus est, hinc et Cl. GERIKIVM, FABRICIVM, BREITHAVPTIVM, VON DER HART, penes quem multa conspexit curiosa et in Bibliothecam Academiae publicam introductus est, adiit, multis a quolibet beneficiis et doctrinae augmentis exornatus. Hinc Brunsvigae a venerabili KÖCHERO, Exp. BEHRENS, et Cl. MÜLLERO meo humanissime exceptus continuato per Hannoveram itinere, missis cum Viris Reu. D. HAVBERO et cognato EDLERO Hagae-Schaumburgicae pro itinere feliciter hactenus exantlato ad coelum precibus eucharisticis, Deo duce ad finem anni saluus in patriam rediit, et postquam hyeme praeterita variis ex arte institutis experimentis vires iterum ingenii et doctrinae explorasset, ad consueta nuper admissa tentamina et examina talem se praestitit, vt communi ordinis nostri decreto potestas ipsi sit concessa pro dissertatione de SPASMO VESICAE solenniter ventilanda cathedram conscendendi. Fiet id proximo die XV. Iun. ad quem actum solennem Magnificum Academiae Pro-Rectorem, vtriusque Reipublicae Proceres et Ciues et quotquot arti et studiis nostris bene cupiunt, officiose, et peramanter inuito. P. P. sub Sigillo Fac. Dom. Trinit.

CIƆ IO CC XLV.

RINTELI TYPIS I. G. ENAX ACAD. TYPOGR.



flakto.
L